

† R. P. Franciscus Gordon (1878-1948)

(*Prov. Angl.*)

In Scotiae collegio nostro Perth festo Nativitatis B. M. V. anni superioris, biduo ante completum septuagesimum suae aetatis annum, mortuus est R. P. Franciscus Gordon sub sequentibus, sane haud ordinariis, circumstantiis. Dum in ecclesia adest caeremoniae, qua novitii nostri prima sua vota pronuntiabant, subito coram omnibus cecidit in sacrae aedis pavementum, tactus morbo vulgo vocato «*petit mal*», i. e. forma levis epilepsiae, quo malo iam per 20 annos laborabat. Fratres laici adstantes eum in suum cubiculum removerunt, ubi post receptionem sacramenti extremae unctionis placide in Domino exspiravit. Sic impletum est eius desiderium saepe expressum: «Utinam moriar in aliquo die festo B. M. V.!».

Dumbarton est locus eius natalis; nam in hoc oppido parentes eius, qui ex Hibernia venerant propter quoddam negotium maritimum, tempore eius nativitatis residebant. Erant catholici pii, qui duos filios sacerdotes servitio Dei dedicaverunt. Francisci frater in bello magno 1914-1918, officio cappellani militaris perfungens, infeliciter vitam perdidit. Confrater noster studia sua elementaria in Dumbarton, studia media in praeclaro collegio Castle Knock prope Dublinum sub cura filiorum S. Vincentii persolvit.

Ineunte anno 1898 novitiatum nostrum Dundalk ingressus est, sed tirocinium suum finivit in domo Perth, quo novitiatus anglicus post divisionem duarum Provinciarum, Anglicae et Hibernicae, translatus erat. Studia theologica primo in Teignmouth, deinde in Mautern Austriae pergevit, ibique festo S. Alfonsi 1903 ad ordinem sacerdotalem elevatus est.

Post redditum in Angliam, variis domibus nostris ut missionarius adscriptus, missiones in omni fere parte Magnae Britanniae et Hiberniae

¹ *Analecta* XX (1948), 201.

tradidit. Erat praedicator plus quam ordinarius, immo praecellens dotibus eloquentiae, clarae vocis artisque declamatoriae, quibus dotibus tamen semper modo simplici, ad animas salvandas, utebatur. Annis 1918–1921 Rector domus Monkwearmouth-Sunderland, altare S. Gerardi in memoriam illorum paroecianorum, qui vitas suas in magno bello 1914–1918 perdiderant, in ecclesia erigendum curavit.

Fortasse circa hoc tempus germen suaे aegritudinis longae recepit; nam propter cessationem temporalem operis virorum in via ferrea occupatorum coactus erat plus solito pedibus ambulare ad auxilium cuidam sacerdoti praestandum, ac venti frigidi inclemetiae sic expositus in febris rheumaticam incidit. Post paucos menses sanitati restitutus videbatur et iterum opus apostolicum suscepit, sed post lapsum aliquot annorum «petit mal» in eo apparuit; quare, remotus a ministerio exteriore, usque ad mortem in domo Perth vixit.

P. Gordon erat vir observantiae regularis studiosissimus, plenus caritatis erga Deum et proximum. Praeter patientiam eximiam in aegritudine molestissima fere 20 annorum ostensam in eo semper elucebat amor paupertatis; missionum causa eo iter instituente, aliorum missionalium sarcinulae partim sua absentia erant conspicuae, partim in spatio tam restricto compactae, ut videretur P. Gordon ad verbum obedire velle mandato Domini N. Iesu Christi Apostolis dato: *Nolite portare saccum, neque peram, neque calceamenta* (Lc. 10, 4).

Post Missam sollemnem exsequialem in coemeterio horto nostro Perthensi adiuncto sepultus est. R. I. P.